

ILLUSTRIS AC  
VERE GENEROSE DO-  
MINE BARO,

**T**Audabilis consuetudo obtinet in orbe literario, ut ii. qui aliquid scribunt in publicum, sibi suisq; scriptis Patronos seligant, sed tales, qui & possint, & velint tale patrocinium suscipere. Consuetudo ista & mihi in præsentiarum imposuit necessitatem, fixit & tulit legem, ut de Patrono hujus qualis qualis opusculi cogitarem. Mihi autem sic ultrò citroq; cogitanti, tu occurristi, INCLYTE BARO, unus non è multis, de quo mihi demissè polliceor duo ista, quòd T. G. & possit, & velit hoc scriptū defendere suo patrocinio adversus malè feriatorum impetus. Potes enim, GENEROSE DOMINE CAROLE, judicare de his talibus scriptis: & quia judicare potes, judicio tuo probare, & id præjudiciis aliorum opponere potes, unà cum Generosissimo Comite & Do-

a ij